

tus agentis corporalis possit intendi ex conjunctione alterius virtutis, non tamen virtus spiritualis operativa circa materiam exteriorem. Quod tamen non video quo fundamento dicatur, quia licet potentia non sint capaces intensionis, tamen conatus potentia, et operatio ejus erga aliquid, etiamsi spiritualis sit, non apparet, quare non sit capax intensionis: præsertim si operatio Angeli ad extra fit immediate per imperium practicum intellectus: tunc enim sicut Angelus inferior potest confortari ab Angelo superiori quoad vim illuminationis, ut sentit S. Thomas infra q. cvi, art. 1, ita etiam quoad efficaciam dictaminis, ut fortius imperet, et moveat. Sed præter hæc omnia, poterunt duo Angeli in eodem loco materiali uniri ad aliquem effectum operando illum ex diversis partibus illius corporis, et in unaquaque applicando totam suam virtutem, quæ simul cum virtute alterius Angeli applicata ex altera parte illius corporis efficiet integrum motum, ut si sit movenda magna moles, v. g. integer mons, qui exigit virtutem ut viginti, ad hoc ut avellatur ex loco suo, et sint duo Angeli unus virtutis ut octo, alter ut duodecim, poterit unusquisque totam suam virtutem imprimere diversis partibus montis, et sic totum simul movere.

Ad secundam probationem dicitur, quod illi Angeli, seu spiritus sic producentes diversos effectus, seu operationes in eodem corpore, seu in eadem parte corporis, erunt in eodem loco materiali, non formali formalitate loci spiritualis, et contactus virtualis non formalitate solum distantia, quæ in loco angelico materialiter se habet, ut explicatum est.

ARTICULUS IV.

Utrum Angelus in suo motu necessario debeat transire per media?

I. Supponimus duo tamquam certa in hac difficultate. Primum est, Angelos localiter moveri. Secundum est, posse moveri tam motu continuo, quam discreto. Primum negatur a Durando, et Hervæo, quos citat Vasquez hic disp. cxcrv, c. 1: Hervæus quidem, quia existimat Angelum nullo modo esse in loco; ex quo fit consequens non posse moveri de loco ad locum; Durandus vero, quia existimat Angelum simul esse in omnibus locis, in quibus esse potest, id est, esse ubique intra suam sphaeram, in qua potest adesse. Utrique falsum dicunt, et contra communem modum loquendi Scripturæ et patrum, et sic ista sententia non est tuta in fide. De Scriptura constat manifeste, Exodi xiv: *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra, abiit post eos*: Job 1 dicitur de diabolo: *Circuivi terram, et perambulavi eam*: Isaia vi: *Et volavit ad me unus de Seraphim*: Lucæ 1: *Et discessit Angelus ab ea*: et cap. 11: *Et factum est ut recesserunt Angeli in cælum*: Matth. xxviii: *Angelus autem Domini descendit de cælo*. Descendere autem, recedere, abire, circuire, moveri est. Deinde, quia est articulus fidei, animam Christi descendisse ad inferos, et de anima Lazari dicitur Lucæ xvi quod: *Portata est ab Angelis in sinum Abraham*; descensus autem sine motu intelligi non potest, si verus, et proprius descensus est, quem in anima Christi fateri oportet: ergo similiter in Angelis verus motus erit.

II. Eodem modo sensum Scripturæ patres sequuntur, et aperte mo-

tum tribuunt Angelis, ut Nazianzenus oratione xxxiv circa finem, dum dicit de Angelis: «Loca omnia peragrare omnibusque impigre adsumunt; tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem.» Et Damascenus lib. 1 de fide, c. xvii: «Angelus ob naturæ pernecitatem celeriter transit, in diversis locis operatur:» et lib. 11, cap. 11 dicit quod: «Cum Angelis a cælo in terram mittuntur, non manent in cælo.» Hoc enim consonat ei quod dicitur Apocal. xii: *Neque locus inventus est eorum amplius in cælo*. Denique, videri potest Ambrosius lib. 1 de Spiritu sancto, cap. x; Chrysostomus homil. 111 in epistola ad Hebræos, ad illa verba: *Omnes sunt administratorii Spiritus*; Hieronymus epist. l111 contra Vigilantium, et alii multi. Ex quibus fit, quod quando Scriptura ponit Angelos descendere, et ascendere, mitti, etc. non possit id explicari ratione aliquid effectus de novo, sicut explicamus descensum, et missionem divinarum Personarum; quia supponitur apud Scripturam, et patres Angelos non esse ubique, sed mutare loca. Et tunc nomen descensus, debet sumi proprie sicut sumitur de descensu animæ Christi ad inferos.

Denique, ratio manifeste hoc probat, quia Angeli non sunt ubique, cum sint substantiæ finitæ, et limitatæ, et habeant intellectum, et voluntatem, quibus valent cognoscere, et velle præsentiam in alio loco, vel absentiam ab illo, sicut Dæmones rogabant Christum, ne irent in abyssum, Lucæ viii. Ergo debent habere potentiam ut moveantur: frustra enim Angelis tribueret natura voluntatem, seu appetitum mutandi, et denegare potentiam loco motivam, præsertim tam perfectissimis, et nobilissimis creaturis.

III. Statim autem se offerebat dif-

ficultas de isto motu locali, an sit intrinsecus in Angelo, et intrinsecum terminum producat. Hoc tamen ex dictis in superioribus articulis facile dignosci potest: dicimus enim in Angelo, quando movetur de loco in locum dari intrinsecam mutationem, et aliquid de novo produci, et relinqui in Angelo, quando movetur, si moveatur per se, et non solum per accidens. Hæc tamen mutatio non acquirit aliquid intrinsecum in Angelo, quod pertineat ad existentiam spatii, et distantiam, vel propinquitatem penes puncta aliqua fixa, sed producit aliquid pertinens ad contactum activum, quo Angelus tamquam forma activa applicatur diversis corporibus existentibus in diversis spatiis, et subjicit ea sibi tamquam passum agenti, et quia talia corpora sunt in diversis distantis, dicitur consequenter, et mediate respicere distantiam: sicut si posset anima rationalis informare diversa corpora, transeundo de uno in aliud, non acquireret primo, et per se distantiam, sed unionem, seu conjunctionem informativam, et ex consequenti distantiam: et idem esset si corpus Christi in sacramento relinqueret istas species, et poneretur sub aliis. Quod enim mutatio, seu motus in Angelo ponat aliquid intrinsecum in ipso, et non solum in spatio, seu corpore, ut putavit Cajetanus q. l111, articulo primo constat, quia Angelus vere, et proprie movetur de loco in locum: ubi autem est mutatio, ibi est motus: si autem tota mutatio passiva esset in spatio, seu corpore, Angelus solum moveret active, non autem moveretur vere, et proprie, quod est incidere in sententiam Durandi impugnata. Nec obstat, quod Angelus in suo motu locali non perficitur a loco, sed perficitur locum: licet enim non perficiatur a loco materiali, sicut corpora quæ

a loco dependent, et in loco conseruantur; et sic acquirunt perfectionem, ex motu tamen Angelus potest acquirere perfectionem ex loco formali, id est, ex ipsa operatione, qua immutat, et perficit locum, quia ista actualis operatio pertinet ad perfectionem agentis: nullum enim agens creatum operatur actu, quin perficiatur in hoc quod est agere in actu secundo quantumcumque illa actio sit perfectiva alterius; et quia ista perfectio agendi non potest esse in Angelo, nisi dependenter ab aliquo passo, ex quo educit suum effectum, oportet quod acquirat aliquam præsentiam, seu conjunctionem resultantem ex contactu suo virtuali, quod vocamus ubi angelicum, quod non consistit in pura denominatione extrinseca.

IV. Nec obstat quod aliquando D. Thomas docet per motum localem non acquiri aliquid intrinsecum, sed motum localem esse ad formam extrinsecam, ut docet infra qu. cx, art. iii ex philosopho viii physic. textu lxx; hoc enim est commune tam locali motui corporis, quam spiritus: dicitur autem corpus in motu locali esse in potentia ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum, quia forma, seu ubi quod acquiritur per motum localem non est forma in se absoluta, sicut in alteratione est qualitas, et in augmentatione quantitas, sed est dependens ab aliquo extrinseco, a quo accipitur denominatio, sicut esse vestitum a veste, et esse locatum a loco ambiente. Non tamen ipse locus denominat nisi mediante aliquo modo intrinsece recepto in corpore locato per quod dicitur subesse loco. In Angelo autem non est modus quo dicatur subesse loco, sed quo subjicit sibi locum, redditur tamen illum tangens virtuali suo contactu, eique conjunctus.

V. Ex quo sequitur tale ubi ange-

licum, seu terminus intrinsecus, qui acquiritur in Angelo per motum, non consistit in aliquo modo intrinseco importante respectum distantiae ad puncta fixa, aut dicente per se, et immediate ordinem ad existentiam, et distantiam loci, quam Angelus suo motu acquirat, et ita univoce conveniat cum motu corporeo. In quo contradicimus sententiae p. Vasquez hic disp. cxcv, c. iv et Molinæ super quæst. lxx, art. i; Vasquez enim dixit quod quando Angelus per se movetur, debet quidem dari variatio modi intrinseci in ipsi Angelo, id est, illa unio, seu modus quem ipse dicit producere Angelum in se, ut sit in loco; sed tamen docet, quod motus localis Angeli non consistit formaliter in variatione illius modi, sed in extrinseca quadam denominatione distantiae a punctis fixis, ac proinde terminus motus non est ille modus realis, sed distantia illa. At vero Molina tenet quod motus Angeli est continua acquisitio existentiae Angeli in alia, ac alia parte spatii, quæ est in substantia Angeli tamquam in subjecto, pertinetque ad prædicamentum ubi. Unde id quod Vasquez ponit in extrinseca denominatione distantiae, cujus variatio acquiritur per motum Angeli, id Molina videtur ponere in forma aliqua denominante intrinsece, et constituyente Angelum præsentem in diversis partibus spatii secundum diversam distantiam.

VI. Cæterum neutra sententia sustinenda est, quia Angelus est forma activa sine quantitate, et non tangit corpus, neque illi redditur præsens per aliquid quo illi commensuretur, id est, per aliquid antecedens operationem, seu applicationem virtutis. Unde non est in Angelo aliquid quod immediate, et directe fundet distantiam, sive ad partem spatii, sive ad puncta fixa, ut supra satis ostendi-

mus, quia omnia ista fundantur in aliqua extensione, aut commensuratione cum loco. Angelus autem non est substantia subjecta loco, sed locum sibi subjiciens, et continens. Ergo motus Angeli non subjicitur legibus loci materialis, et extensi, nec primo, et per se ordinatur ad acquirendam distantiam, vel propinquitatem aut commensurationem cum loco, cum abstrahat ab omnibus conditionibus loci, et quantitatis; et sic est incommensurabilis ipsi, nec potest respicere locum tamquam mensuram suæ potentiae. Quare motus corporis, et spiritus non possunt univoce convenire in acquirendo terminum localem, nec in habendo contactum erga corpus. Quia motus corporis acquiritur ubi circumscriptivum quod est commensuratum loco, et ab illo dependens, et distantiam seu extensionem in illo habens: ubi autem angelicum non potest habere talem commensurationem, quia contactus Angeli non est per modum extensionis, seu commensurationis ad extensionem corporis, et cum distantia non possit intelligi nisi ratione extensionis, si quidem major, vel minor distantia mensuratur per extensionem; consequenter dicendum est quod Angelus, qui omnis extensionis expers est, non potest moveri localiter ad hoc ut acquirat aliquam distantiam, seu existentiam, vel præsentiam ad locum secundum extensionem loci: ita quod antecedenter ad operationem, et contactum virtutis acquiratur in Angelo aliqua præsentia commensurabilis distantiae spatii, quæ commensuratio activa non sit, sed antecedens ipsam operationem, seu activitatem agendi, sicut corpora antequam operentur, prius commensurantur quantitati spatii, ut ex illa operentur, eo quod applicatio corporum ad operandum est dependens a

quantitate, quæ activa non est, sed antecedit operationem: non est autem commensurabile aliquid ad distantiam, et extensionem spatii antecedenter ad operationem, nisi per aliquam extensionem, cum ipsi distantia quædam extensio sit, nec possit coaptari aliquid ad extensionem, nisi vel virtualiter, quia virtus subjicit aliquam extensionem, et distantiam sibi; vel formaliter, quia antecedenter ad virtutem, et operationem illi coaptatur, et commensuratur, et hoc non potest intelligi, nisi per aliquam extensionem. Quare cum Angelus antecedenter ad virtutem operativam, qua subjicit sibi corpus, et extensionem ejus non habeat aliquid quo passive, et formaliter coaptetur extensioni loci, consequenter neque motus ejus acquirere potest aliquam præsentiam, seu existentiam quæ immediate dicat rationem distantiae, seu commensurationem ejus ad partes, et extensionem spatii, vel ad puncta fixa, quia ista puncta solum respiciuntur ratione elongationis, vel approximationis, quæ pertinet ad rationem distantiae, et extensionis, cujus omnino expers est Angelus.

VII. Quare motus Angeli non potest habere terminum intrinsecum, qui univoce conveniat cum termino motus localis corporum: haberet autem si acquireret distantiam aliquam ad puncta fixa immediate in se, vel existentiam ad partes spatii antecedenter ad operationem: sed id quod acquiritur per motum, est modus aliquis, qui resultat ex conjunctione formæ angelicæ, in quantum activa est ad corpus, et ad extensionem ejus tamquam ad passum quod sibi subjicit, et ex quo incipit operari, quia si contactus Angeli est contactus virtutis, consequenter modus qui resultat in Angelo ex tali applicatione ad agendum circa

tantam quantitatem corporis, debet esse modus conjunctionis agentis cum passo, non extensionis cum distantia. Non est autem inconueniens, quod ex conjunctione agentis spiritualis cum passo, resultet in ipso agente aliquis modus præsentiae, et conjunctionis cum tali passo, qui modus immediate, et per se pertinet ad præsentiam, seu conjunctionem agentis in ratione, et linea agentis cum passo, consequenter autem, et mediate importat ordinem distantiae, vel indistantiae ratione ipsius corporis cui unitur, sicut anima rationalis ex eo quod unitur corpori, acquirit modum aliquem, seu statum existendi in corpore, informando illud, quem non habet quando existit separata, qui modus subjective est in ipsa anima, ut ostendimus in physica qu. vi, articulo ultimo, qui non est modus importans ubi, seu distantiam ad puncta fixa, et ad locum immediate, ut ex parte animæ se tenet, sed immediate importat habitudinem formæ informantis erga corpus, in quo habetur ipsa præsentia, et distantia ad locum, non ratione sui, sed ratione corporis. Et si posset anima de uno corpore ad aliud transire, mutaret immediate, et per se istos modos informationis, non tamen immediate acquireret distantiam, vel propinquitatem erga locum, sed mediate, et ex consequenti, quatenus illa informatio est ad corpus in aliquo loco. Et similiter si corpus Christi sub speciebus posset transire ad alias species, illisque conjungi, mutaret uniones, seu præsentias ad species, non acquireret distantiam vel propinquitatem localem immediate, et ratione sui, sed mediate quantitate specierum, quibus subesset. Sic Angelus, quia est forma activa superior omni corpore, quando mutat applicationem, et conjunctionem erga corpora, non mutat propinquitatem,

vel distantiam localem fundatam in se, sed præsentiam agentis erga passum, et mediante tali passo cui assistit, dicit respectum ad distantiam, vel propinquitatem loci. Quando autem Angelus, anima, et corpus Christi Domini non mutant conjunctionem ad corpus, vel species, quibus sunt conjuncta, et tamen ipsa corpora moventur, tunc moventur res illæ per accidens, id est, per aliud, et mutant locum, non ad quem immediate dicunt respectum, sed ad quem dicit respectum ipsum corpus, cui sunt conjuncta; et sic non est necesse quod tunc acquirant ubi intrinsecum, seu modum intrinsecum suæ præsentiae, quia ille motus corporis non potest acquirere modum, et præsentiam indivisibilem, et spiritualem quam habent Angelus, et anima, et corpus Christi, ut advertimus in physica quæst. xvi, art. ii, circa secundam difficultatem.

VIII. Secundum quod supponimus in hoc articulo est, motum Angeli posse esse continuum vel discretum. De motu continuo non est difficultas, quia sicut non repugnat animam rationalem successive informare diversas partes corporis per augmentationem, ita non repugnat Angelum successive applicari partibus continuis spatii, incipiendo operationem suam a partibus immediatioribus; et sic continuando operationes suas per applicationem ad aliquam partem aliquotam, et determinatam, et post ad aliam etiam determinatam immediate sequentem; et sic continuo movebitur penes partes aliquotas se applicando; nam ad partes proportionales, et indeterminatas non potest substantiam suam continuo diversis operationibus applicare, quia non possunt partes istæ diversis operationibus tangi, quia infinitæ sunt, et diversis operationibus sigillatim unaquæ-

que attingi non potest. Requiritur autem ad hoc quod substantia Angeli existat in loco, quod non solum ejus virtus ab eo diffusa continuatim per partes se extendat, sed quod virtus ejus, quæ est in ejus substantia, et unde incipit operatio, applicetur continuo ipsis partibus; quod non potest esse nisi diverso modo incipiendo operationes suas. Et hæc diversa inceptio non potest esse numerando partes improporcionales quæ continuatim sequuntur, bene tamen applicando se partibus determinatis, et continuatim ad partes immediatas, etiam determinatas se applicando. Quod non accidit in anima rationali, quæ in augmentatione paulatim informat partes materiæ alimenti secundum partes proportionales, quia introducit in materiam juxta modum quo materia se disponit, scilicet uniformiter difformiter, et per partes proportionales ingrediendo materiam, non sicut Angelus applicando sibi passum, unde operationem incipiat. Hoc ergo modo Angelum se applicare continuo partibus per motum, neque repugnat ex parte ipsius Angeli, cum a qualibet parte corporis possit incipere aliquando operationem suam, et sic continuo applicari diversis partibus: neque etiam id repugnat ex parte corporis, cum omnes ejus partes etiam si sint continuæ æque subijcibiles sunt ipsi Angelo.

IX. Quod si dicas, requiri ad motum continuum, quod mobile partim sit in termino a quo, et partim in termino ad quem, quod Angelo non convenit, quia est indivisibilis. Imo ex hoc ducitur argumentum contra ipsum motum Angeli absolute, quia Angelus debet se movere cum sit vivens: ergo debet habere partem moventem, et partem motam, cum omne quod movetur, ab alio moveatur, quod non apparet

quomodo distinguatur in Angelo.

Ad priorem partem difficultatis respondetur ex D. Thoma in hac quæstione LIII, art. i ad i, Angelum non esse partim in termino a quo, et partim in termino ad quem, ex parte sui, sed ex parte corporis, seu spatii, cujus partem immediatam deserit, et partem immediatam acquirit. Unde obiter colligitur, quod cum D. Thomas hic expresse posuerit motum continuum in Angelo, non refert quod negaverit illum in i, dist. xxxvii, sic enim id correxit.

Ad posteriorem partem dubii, respondet p. Arrubal hic disp. clxix, c. ii, quod in Angelo, qui est substantia indivisibilis, non est necesse distinguere partem moventem, et partem motam, sed sufficit recipi motum in substantia, et effici a virtute ipsius substantiæ. Cæterum licet verum sit non esse in Angelo partes, inconvenienter tamen dicitur motum effici a virtute ipsius substantiæ, et recipi in substantia Angeli, quia nulla virtus, vel accidens existens in aliquo subjecto effective agit in illud, ita quod distinguatur virtus efficiens a substantia recipiente, quia virtus alicujus substantiæ non agit, nisi ut recepta in substantia ipsa, et consequenter substantia per talem virtutem est, quæ agit, sicut calidum est quod calefacit, non calor, sed calor agit ut quo, calidum ut quod; et sic substantia cum virtute agit, illa ut principium quod, ista ut quo; utrumque tamen ut unum agens, non unum ut agens, aliud ut recipiens: ergo non se habet substantia solum ut recipiens, et virtus ut efficiens. Unde respondetur quod in Angelo non distinguitur pars movens, et pars mota formaliter, sed virtualiter, quia sunt diversi actus in voluntate, et in intellectu, vel etiam in potentia motiva, si ab istis distinguitur, quorum unus oritur, et movetur ex alio, sicut electio

ex intentione, et ex electione imperium, et ex imperio applicatio ad executionem, et executio operatur erga aliud, scilicet erga corpus, ex qua operatione resultat etiam ipsum Angelum moventem coordinari, et præsens fieri ipsi corpori. Quare non est inconveniens, quod quando aliquid movet aliud a se ex consequenti resultat in se aliquis modus, seu terminus motionis, sicut est ipsum ubi, quia hoc non est primo, et per se esse movens, et motum, sed primo, et per se distinguitur movens, et motum, et deinde ex ipso moveri resultat aliqua mutatio, seu ordinatio, et præsentia in eo qui movet, quia sic se applicat ad movendum alia a se per diversos actus, quorum unus est pars movens, et alius pars mota, seu ratio moventis, et moti, licet ipsa substantia sit movens, et mota ut quod secundum diversa, seu secundum ordinem, ad diversos actus.

X. Quod si ulterius inquiras, an in motu continuo Angeli debeant esse plures operationes, vel una tantum, respondetur utroque modo posse contingere motum continuum, ut ex Cajetano docet p. Suarez lib. iv de Angelis, c. xx, ita quod si diversis operationibus velit Angelus continuo moveri, oportebit quod diversæ operationes respiciant continuationem spatii, et attingant diversas partes designatas, seu aliquotas diversis operationibus non dispartate se habentibus, sed coordinatis, et ipsam continuationem spatii intendentibus, ita quod quando assistit uni parti, velit immediatam occupare, et postea aliam immediatam usque ad certum terminum; et sic efficiatur motus continuus propter continuitatem spatii, licet operationes quæ continuitatem illam consumunt, sint diversæ, inter se tamen ordinatæ. Si vero sit unica operatio, tunc habebit continuitatem,

non formaliter, et ex parte operationis, sed virtualiter, quia operatio illa indivisibilis attingit continuum spatium per modum unius, volendo omnes illos contactus usque ad talem terminum; et sic etiam dabitur tempus continuum, non secundum prius, et posterius in ipsamet operatione, quia unica, et indivisibilis est, sed secundum prius, et posterius in ipso effectu, et re operata, quatenus unica operatione vult Angelus plures partes alicujus spatii attingere, non omnes simul habendo, sed unam immediate, et ordine quodam post aliam; et sic continuatim mutat loca, licet operatio non mutetur, quia unica operatio plures effectus continuatos, et subordinatos habere potest.

De motu autem discreto possumus loqui dupliciter. Uno modo quod sit discretus solus ratione temporis, et durationis, quia scilicet aliqua quiete interrumpitur; et de hoc non est dubium quod possit Angelus moveri motu discreto, sicut etiam corpus, quia non semper operatur, et movetur, sed aliquando cessat: ergo interrumpit motum. Alio modo dicitur motus discretus per interruptionem locorum, ita ut mobile non cessando a motu transeat de uno extremo ad aliud non attingendo spatium intermedium; et de hoc est tota difficultas, ut jam explicamus.

NON REPUGNAT ANGELUM MOVERI DE UNO LOCO AD ALIUM, NON TRANSEUNDO PER MEDIUM.

XI. Certum est quod si datur motus discretus discretionem se tenente ex parte spatii, necesse est quod aliquæ partes maneant intactæ a motu, et contactu Angeli, quia, ut optime convincit D. Thomas in hac

quæstione LIII, art. II, si omnes partes medii Angelus tangeret motu discreto, numeraret omnes partes continui, et cum sint partes in potentia infinitæ, si omnes illas numeraret diverso motu, et discreto, numeraret infinitum, quod non est pertransibile: oportet ergo quod in motu discreto aliquæ partes relinquuntur intactæ. Sed ex hoc ipso nascitur difficultas, an talis motus detur, et possit Angelus per illum pertransire quamcumque distantiam, transeundo ad extremum sine contactu aliquo in partibus intermediis. Unde D. Thomas prius in loco citato ostendit quod dato, seu posito motu discreto, necesse est aliquas partes continui intermedias relinquere intactas, nec possunt plures operationes discretæ ab Angelo fieri tangendo singulas partes continui; postea in fine corporis docet, absolute posse dari hunc motum discretum, quia ex illo priori requisito redditur valde difficilis. Imo hæc est difficultas, quæ maxime elongatur a nostra intelligentia in motu spiritualis substantiæ.

Circa quem est duplex sententia.

Alterâ affirmat posse Angelum transire de uno loco ad alium, quantumcumque distantem sine eo quod attingat media. Et valde communis hæc sententia inter Thomistas. Illam tenet Cajetanus in præsentia quæstione LIII, art. II; Bagnez ibidem; Ferrariensis II contra gentil. c. CII; Capreolus in II dist. VI, quæst. I, art. I, conclus. III, et idem sentit p. Vasquez hic disp. CXCVI, cap. II.

Secunda sententia tenet non posse Angelum moveri nisi transeundo per medium. Quæ tribuitur S. Bonaventuræ, Richardo, Ægidio, aliisque antiquioribus: et tamquam probabilior sequitur p. Suarez lib. IV de Angelis, c. XIX.

XII. Inter has duas sententias fuit

sententia media Scoti in II, dist. II, quæstione ultima. Quem sequitur p. Arrubal hic disp. CLX, c. II, videlicet Angelum posse moveri de extremo ad extremum sine medio participante extrema, non tamen sine medio non participante. Medium participans apud Scotum est idem, quod partes medii non designatæ, seu proportionales, et communicantes inter se: medium autem non participans est idem quod partes designatæ, seu aliquotæ, quarum una addit supra aliam distinctam magnitudinem, et in nullo communicantem, seu imbibitam in alia parte. Dicit ergo hæc sententia quod ut Angelus transeat de extremo ad extremum debet tangere omnes partes medias designatas, et aliquotas, non tamen omnes indesignatas, et communicantes inter se. In quo nihil fere addit supra secundam sententiam: nam si omnes partes designatas, et determinatas debet Angelus tangere, in illis ingrediuntur, et consumuntur omnes indesignatæ; et sic omnes tangere debet: sicut etiam in motu corporis per assistentiam ad partes spatii, et mutationem continuam, qua tangit partes designatas, fit transitus per partes indesignatas, quæ in illis designatis continentur.

XIII. Quare fundamenta istius secundæ sententiæ late prosequitur Suarez loco citato et varie assignantur a suis auctoribus; sed tamen omnia inefficacia sunt.

Primo enim ducuntur ex proportionem corporum, quæ non possunt moveri de extremo ad extremum, nisi transeundo per medium: ergo idem videtur dicendum de spiritibus. Cæterum consequentia ista nulla est, nec transcendit imaginationem, quia spiritus non alligatur legibus quantitatis, et loci. Unde non deducitur proportio ex corporibus, quæ quantitate moventur, et per